

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Invocatio Dissertatio De Querimoniis Judæorum à Pontificiis Scandalizatorum

Basileæ: Impressit Fridericus Lüdj, [1710?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863443915>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rostdok/ppn863443915/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn863443915/phys_0001)

DFG

O. G. Tycpha
Go

In hoc volume continentur

1. J. H. Michaelis Historia linguae aræ
2. I. Christ. Clodii de cauillio contentus linguae
3. ih. Joh. Baum Schiepedecker ~~W~~ tractus linguae apab.
4. Samuelis Verenelphi sententia Mohameti de peste Cor. 17. 1.
5. Martin Lubata Oratio in occidente
6. Joh. Henr. Lysius de osa linguae Syriae
7. Tycho Brahe Tycpha de Maran. alba Cor XVI, 22.
8. Schiepedecker de excommunicationibus Iudeorum
9. Jam. Verenelphi de Occimoniis Iudeorum a pontifice scandalizatis
10. Christoph. Witzler de genti iudaicae saty
11. Hejj. Strauchii De peccatis & vices

CIB - 102 (1) 1-11.

1817

כעורת השם יתברך
DISSERTATIO
de
QUERIMONIIS
JUDÆORUM
à Pontificiis
Scandalizatorum

Quam

SUB PRÆSIDIO

Viri plur. Reverendi atque Excellentissimi

D. SAM. WERENFELSHI,
S. Th. Doctoris, V. Test. Profess. Facult.
Theol. p. t. Decani.

Ad diem 21 Februar. M. D. CCX.

In Auditorio Theol. hyberno
H. S.

Placido Eruditorum examini subjicit

M. NICOLAUS SCHWARTZIUS,
Basileensis Auth. & Resp.



B A S I L E Æ,

Impressit Fridericus Lüdj, Academiæ Typographus.

9

VIRIS

Venerandis, Excellentissimis, Clarissimis

DN. JOH. RODOLPHO WETSTENIO, S. Th.
Doct. & N. T. Prof. Ven. Ord. S. Acad. Reet.

DN. SAMUELI WERENFELSI, S. Theol.
Doct. V. T. Prof. h. t. Vener. Ord. Decano meritiss.

DN. HIERONYMO BURCARDO, S. Theol.
Doct. Eccl. Antist. Locor. Com. & Controv. Theol.
Prof. Clar.

DN. JOHANNI BUXTORFIO, Ling. Hebr.
Prof. meritiss.

DN. MATTHIAE MANGOLDO, Archidiac.
vigilantiss.

DN. VINCENTIO PARAVICINO, Gymn.
Baf. Correctori Doctiss.

DN. Patronis & in Sacrar. Liter. studio Preceptoribus
omni amoris honorisq; cultu prosequendis.

Nec non

Viris Spectatissimis

DN. LEONHARDO RESPINGERO, merc. famig.

DN. NICOLAO HEUSLERO, Avuncul.

Suis è s. Fonte Susceptoribus pl. colendis.

DN. JOH. JACOBO ISELIO, Triumv. Fil. Fautorí summo.

DN. JACOBO HEUSLERO, Avunculo s. pl. colendo.

*Quantulasunque has studiorum primitias in grati animi
& observantiae signum*

offert, dicat, consecrat

AUTOR.



DISSERTATIO
De
QUERIMONIIS JUDÆORUM
à Pontificiis
Scandalizatorum.

I.



Epe animo intuenti ac versanti mihi, quare Judæi usque adeò Evangelio increduli sint; præter causam quam Apostolus tradit 1. Cor. 1, 23. occurrebat, esse & alia, quæ Judæis Christi doctrinam non parum suspectam reddant: Præser-tim cum audivissent Judæos quos-dam de Pontifica Religione in suis scriptis valdè querulos, qui à Pon-tificiis gravissime se scandalizatos prædicabant; statui, quid de hac querimoniâ sentiam, quidque Judæis istis responden-dum existimem, hac dissertatione, quam potero brevissime, exponere.

II. Ego non omnia scandala, quæ in Papatu occur-runt, ordine recensebo: sed quia ferè multa sunt, experiar, an ad capita quædam illa referre possim. Sunt ergo Scanda-la, de quibus Judæi conqueruntur, vel in Pontificiæ Reli-gionis indeole, vel in illius Religionis hominibus. Quæ ex Pontificiæ Religionis genio fluunt, quantum ego quidem perspicere valeo, illa hærent aut in *Cultu*, aut in *Doctrinâ*, aut denique in Pontif. Eccl. *Regimine*.

Optarem, ut, quod explicandum videtur, tam feliciter
A 2
præstare.

præstare queam, quām vehementer cuperem. A primo igitur, quod sum pollicitus, ut exordiar, *Cultum* considerabo, illiusque cultus fulcimenta.

Müll. III.
Denthum
c. 13.

III. In *Cultu ipso IDOLOLATRIA* est, de quā Judæi conqueruntur; magnum certè ipsis Scandalum, quod Idololatriam turpissimam Pontificios committere vident: Non expedit omnes Idololatriæ species commemorare; sufficit, talem Judæos in Ecclesiâ Pontificiâ animadvertere; Cùm tamen Judæi omnigenam Idololatriæ extirpationem per Messiam credant; & Idola tempore Messia è terrâ aufferaude prædicuntur, *Zach. 13. 2. Esa. 2, 17.* Quare est, quod Judæi de Religione Christianâ, tanquam Idololatrica eisent, tam abjecte & sentiant & loquantur, ipsisque Christianos gentibus accenseant: Cùm potius indolem Evangelii considerare deberent, quod Idololatriam, quā non ingenui Christiani purum, quem Evangelium tradit, Dei cultum non parum inficiunt, prohibet quām severissimè; quodque gentium Deos, de quorum extirpatione vaticinia allegata sonant, validissimè impugnavit & sustulit. Quare Judæi peccatum Idololatriæ, quo se Pontificii polluunt, imputare haud debent Evangelio, longè aliud suadenti; nec etiam statim existimare, quod tales gentibus, nescio quos tetricos & insulso Deos colentibus, sint accensendi; quippe qui cum suo corrupto, cultu unum agnoscent Deum, Cœli & terræ Creatorem: quique a gentili illâ amentiâ mirum quantum se distare factentur, non quemlibet truncum pro Deo admittentes,

Hor. de
Priapo L,
I. S. 8.

Olim truncus eram siculus, inutile lignum :
Quum faber incertus scannum faceret ne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego, furum aviumq;
Maxima formida.

uti gentiles olim feceré, ipsis ranis stupidiores, quod pavidum genus tigillum, inutilem sibi regem, contemptim infliti & omni inquinavit contumeliâ.

IV. Pontificii ob imaginum cultum quodammodo cum Israëlis Doctoribus, quibus mira quædam in colorandis peccatis est sagacitas, se adhuc excusare posse putant:

¶ (¶) 2

אל תביט אל ישראל בזין הפתחות בעבור שענדו
הברים מבקשים תועלת האלים תוספת על תורהם:

L.Cofri.
P.m;oo.

Non est quod Israëlitas oculo contemptibili afficias, quod aliquando Baales coluerint; quæsiverunt illi duntaxat usum imaginum, tanquam additamentum legis sua.

V. Ego verò Pontificios, sive Idola sive Imagines collentes (hac enim distinctione non elabuntur) non excuso; nec inquiero, annon gravius forsitan in tantâ Evangelii luce peccent, quam olim gentiles: hoc saltem dico, illorum Idololatriam similem esse illi, quæ in deserto fuit, quâque Jerobeam Israëlem vitulis suis peccare fecit. Quemadmodum autem Jerobeami peccatum Legi Mosis Judæi non imputant, ita nec Christianorum peccatum Evangelio imputare debent; Considerent potius Judæi, quam multæ sint Christianorum myriades, qui se ab Idololatriâ puros jam olim conservarunt, & adhuc hodie Pontificiorum Idololatriam detestentur, nullumque propterea cum illa Ecclesiâ commune sibi commercium esse volunt: quibus Judæi se adjungant, & poterunt & Idola & Imagines, omnesque quæ iis adjunguntur steriles pomparum cæmonias, despicer; ridere illam θεων, quam consecrationem vocant, ubi homunciones in Divorum numerum recipiuntur, non ore modo decernentium, sed & plenâ vulgi persuasione.

Suct.in vi-
ta Jul. Cæs.

V I. Hæc fortasse Judæis satisfacere possent, ni Pontificii Idololatriâ suâ modum excederent, & ad ipsius consecrata Hostia cultum lapsi fuissent; nihil certè est in toto Pontificiorum Idololatrico cultu quod majores excitârit Judæis querimonias, quam ἀπλατεῖα Missatica: graviter Judæi offenduntur, & haud facile dixerim, ad quas sive querelas, sive etiam in Christianos contumeliosas voces irritentur; Christianos exagitant, quod crustulum panis tanquam Numen religiose colant, quodque quem modo Deum adorant, mox dentibus devorent: Cum tam inurbani olim Ægyptii non essent, sed magis honorifice allium & cepe Deos suos tractabant,

Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.

Juv.S.M.

A 3

Quare

Quare Judæi nec dicteriis parcunt, sed ubi licet, Sol-
 dano illi occidunt, qui Imp. Friderico in colloquio de Missa
 Hotting de dixisse fertur: *Si fuisset Deus quem adoratis tantæ magnitudinis,*
 Euchar. *ut mons maximus, dudum à Sacerdotibus vestris, ipsum quotidie in*
Missa manducantibus, consumptus fore potuisset. Cum enim
 Pontificii hostiam consecratam Deum vocent & esse velint,
 cur miremur, quod infideles Judæi tam abjecte de eorum cul-
 tu loquantur, qui adeo crassus & Idololatricus ipsis videtur,
 ut homini & ratio & experientia sensuum sit ejuranda, an-
 tequam in eum induci possit: quid enim magis à communi
 mortalium sensu abhorret, quam ut homo id, quod mutum
 est atque exanime, quod animalium etiam infirmissimorum
 injuriis expositum, quodque devoraturus est, adoret, &
 Deum suum esse censeat?

Von der
 Juden A. queritur, quantopere hæc Idololatria ipsi scandalo fuerit,
 berglaub. qui cum Christianus fieri constituisse, forsitan in pago quo-
 dam vidi pompticum imaginum & hostiæ consecratæ cul-
 tum, ubi Papicola Imagunculis & hostia consecratâ tam in-
 epte ludebant, ut Judæo spectanti horreret animus; adeò ut
 qui antea Christo nomen dare cuperet, nunc nauseam con-
 ceperit, & sibi proposuerit Christum non amplecti, siquidem
 Christiani tales abominationes, tamque nefandam Idolola-
 triam committant. Etiam Judæus mansisset, tam crassæ Ido-
 lolatriæ impeditus, nisi ex lectione N.T. vidiisset, Christi Do-
 ctrinam omnem damnare malignum Idololatriæ cultum.

VII. Verum hoc ipsum est, quod Judæis responden-
 dum existimo, ut potius indolem Evangelii considerent;
 quam atrox enim sit peccatum Idololatria, quamque Deo
 exosa, Doctrina Christi docet; quæ ubicunque fuit recepta, om-
 nis statim Idololatria cœpit extirpari; oracula gentium ob-
 mutuerunt simul ac doctrina Christi fuit promulgata: cuius
 proin doctrinæ prædictio Idololatriæ impugnatio est, & con-
 versio ad Christum idolorum abjectio dicitur, 1. Tess. 1. 9. Qua-
 re Christiani olim ab Idololatria liberi hujus dementiæ gen-
 tiles reos agere solebant, quod ceu numina colerent statuas
 & frigidas imagines. Sed & possunt hodierni Christiani ab Ido-
 lolatria

lolatriā puri idem Pontificis objicere. His Judæi accedant, qui nec imagines colunt, nec defunctos adorant, nec ~~deo~~ λατρεῖαν admittunt, sed Deo pura mente serviant; hoc si fecerint Judæi, non repugnamus, quin omnem hunc cultum tanquam detestandam Idololatriam rejiciant, suisque quærelis aut Idololatras flectent, aut in ruborem convertant; non repugnamus, quin cunctis Idololatis dicant, cum Minutio: *Animantia muta de Diis vestris naturaliter judicant; mures, birundines, milvii non sentire eos sciunt, inculcant, insident, ac nisi abigatis, in ipso Dei vestri ore nidificant.*

VIII. Id quo cultum fulcire solent & quo Christi miracula non parum suspecta reddunt, sunt ~~περὶ φάσεως~~ 2. Thess. 2, 9. *Miracula ficta & nugatoria*, quibus cultum suum fulciunt,

Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.

Ut enim Idolorum cultum plebi plausibiliorum redunt, facile ipsis est circulatoriis fraudibus miracula ludere, aut saltem suave aliquod somnium, portentosam aliquam ordiri fabellam: Quid enim efficacius superstitionem multitudinem regit? quæ nunquam Sacerdotibus melius paret, quæm ubi vanâ religione capta est, & nugatoriis miraculis circumventa. Solent enim apud simplicem plebem, ut existumant, ad commendandum Idolorum cultum talia confingere, aut conficta narrare. Quod tamen vitium in Judæis damnant, ficta miracula ipsis exprobrantes; quod e. g. tam simplices sint, ut Angelum mortis à Rabbi suo Josua deceptum credant, Rabbino mortis Angelo, ipsi Paradisum ostendenti, gladium surripiente & in medium Paradisum irrente. Cum tamen Pontifici itidem Diabolum à suis Sanctis arte circumventum dicant, mira narrando, *quomodo digitus aliquando ei sit aditus, cum S. DOMINICUM in forma simiae subsannaret, & cum ne sic quidem bijtronem agere desisteret, tandem virginis cæsus miser Daemon ab ipso sit dimissus.*

Quæ adeo convenientiunt, ut hi pulli eodem ovo prægnati videantur; tamen isti in Judæis damnant, quod in causa sua non parum laudant & extollunt; claudus sc. loripendem deridet, sed ambo ridiculi fiunt; Judæorum mendacia acute

J. Bux.
קבוץ ס

ספר
P. 373.

Zuingerus
de de festo
Corporis
C. p. m. 237.

acute vident Pontificii : Pontificiorum Judæi : ut aquila ; aut serpens Epidaurius. Quisque autem in suis nec oculum habet nec aurem.

Ter Heaut.

Ita comparata est hominum natura,

Aliena mendacia melius ut videant & judicent quām sua.

Utrique tamen inter se usque adeo sunt similes, ut nemo dubitet, quin aut hi ab illis, aut illi ab his mendacia sua didicerint. Quis enim ex Christianis, rebus ficitantibus, temulentos Judæos ridere porrò ausus sit? cum in Messia convivio rubicunduli sedebunt mero graves Pœana canentes gentes

Curt. L. 7. devicturi; haud aliter ac Beſtis olim *Alexandrum super mensam debellaturus*. Quis amplius mirabitur, quod Judæi in hoc ipso Convivio nescio quem horrendæ magnitudinis pīscem Leviathanis foemellam sibi apponendam exspectent, quæ jam jam salita justisque & piis Judæis asservatur: Cum audit; *quosdam e Pontificiorum Sanctis, Paradisum terrestrem petituros, forsan hunc ipsum pīscem in mari invenisse*, (quod enim aliud vas ad tantos pīsces saliendo satis capax esset) quem quia insulam esse existimarent, desuper descendisse, ignem accendisse, in dorso enim hujus pīscis ingentes Sylvæ & altissimi

Zuing, de montes creverant; verū quia pīscem se se movere senserant, ad festo Corp. navem fugientes interitum vix evaserunt. Quæ tam stulta sunt C.p.m. 213. ut referre propemodum pudeat. Quare est, quod Judæi nimis abjectè de Miraculis sentiant, quæ à Christo & suis Apostolis facta credimus.

I X. Sed si Judæi cum fabulosis Pontificiorum miraculis fabulas conferre velint, ne cum iis Christi & Apostolorum conferant miracula, quæ verè quondam contigisse, validis fatis argumentis à scriptoribus N. T. discimus; hominibus sinceris, rem non exaggerantibus, quemadmodum Alexander olim, qui expeditionis suæ munimenta & castra jussit extendi, cubiliaque amplioris formæ, quām pro cor-

Curt. L. 9 porum habitu, reliqui, posteritati fallax *miraculum præparans*. Sed conferant Judæi cum fabulis supra memoratis (nec enim fabulas esse repugnamus) fabulas Rabbinicas, adeò futile & infalsa, ut qui eis fidem adhibet, judicandus sit sensu communi esse destitutus; usque adeò enim in Judæis nungivendu-

givendulis hac in parte sanam mentem desideres, ut hominibus istis elleboris opus esse,

Per solis radios, Tarpejaque fulmina jures,
quoties in eptissimas fabulas ceu veritates certissimas & Sybillæ folia recipiunt, quare non male Judæorum Somnia in proverbium cesserunt.

Luv. S. 6.

X. Miracula Christi quod attinet, quibus Evangelium confirmavit, ideò Judæi illa negare non possunt, quod omnia argumenta, quæ Mosis miracula vera esse suadent, longè validius concludant pro miraculis Christi & Apostolorum. Et si Judæi, miraculis moti, Mosen Prophetam divinum agnoscunt, nulla subest causa, cur de Christi divinâ missione ambigant, qui hac in re Mose multo est illustrior, qui nec tot, nec tanta edidit miracula quam Christus, nec ipse uti Jesus resurrexit. Cujus miracula si infidelis in dubium vocaret, & pro veris miraculis venditata diceret, quæ miracula non erant; tam validis Judæi argumentis talem convincere non possent, quam nos, miracula Ch. verè contigisse, ipsumque J. resurrexisse, ex variis circumstantiis & testimoniis indole evincimus. Et si de alterutrius miraculis falsi suspicio subeffet, tale quidpiam suspicaret gentilis de Mose potius, homine aulico, quam de Christo, externo aspectu contemptibili: Quamvis ego Mosen prophetam divinum agnoscam, pertendo tamen, Judæos tot divinæ ejus missio- nis testes gentili producere non posse, quot testimonia Christi miracula agnoscunt & confirmant; scriptorum, quibus ad mentiendum nulla fuit voluntas, nulla facultas; adeò ut nulla subsit causa, cur Judæi argumentis, quæ fortius longè pro Evangelii miracula quam verò Legis militant, non persuadeantur, ut nobiscum J. C. agnoscant, cuius miraculis objici nihil à Judæis potest, quod non absurdè simul & mendaciter sit confitum.

XI. In *Doctrinâ* error est & dissensus: non loquor de illis veritatibus Evangelicis, quas adhuc retinent; sed de dogmatibus portentosis, *Transsubstantiatione*, *Missâ*, aliisque contra sensum & rationem dogmatibus: de rixis &

B

alter-

altercationibus scandalosis, quæ plenis modiis apud Scholasticos exhibentur, quæ stultæ satis & impiæ inter illos agitantur; qualesque apud cunctos Christianos agitari Judæi putant, nil certi quicquam in illa religione inveniri credentes. Ego quoad portentosa Transubstantiationis, Missæ &c. dogmata nil respondebo, utpote sciens meritò Θεοφαγίαν istam Pont. objici: rixas autem Scholasticis relinquo, fruantur illi his carduis, ut similes tandem habeant labra laetucas; potius respondebo Judæis, nescio quas dissensiones reliquis Christianis objicientibus, quam ut fuitiles Scholasticorum quæstiones tangendo ineptus simul & ridiculus fiam.

XII. Dissensiones autem Christianorum, rixæ de verbis & nullius momenti rebus, quas Judæi vident, & omnia propterea dubia in illa religione existimant, nec certi quicquam reperiri, non tantæ sunt, ut causam Judæis præbere debeant, à religione Christianâ abhorrendi; non tantæ, ut illos impedian, quominus Christum confiteantur.

Dissidia enim & Schismata si quæ fuere & adhuc sunt in Ecclesiâ Christianâ, si nudæ sunt sententiarum diversitates, absque animorum divulgatione, non obsunt doctrinæ veritati, quam profitentur, alias nec Judæorum religio vera esse posset, quæ opiniones diversas produxit & aluit. Si autem sint Ecclesiæ dilacerationes & Christianorum in varias sectas divisiones, id non doctrinæ Christi genio imputari debet, quasi tales dissensiones foveat, sed non ingenuis Christi discipulis: quicquid autem isti degeneres, turbulenti discipuli committunt, Evangelio imputari non debet; Sufficit, Evangelia optimè inter se convenire, eadem esse præcepta, eadem promissa.

XIII. Ob reliquias dissensiones, quas præiantium & flus fovet, non est, quod Judæi à religione Christianâ abhorrent; recipient modò Evangelium, & poterunt ipsis rixis tutò superfedere: tantum abest, ut illas Evangelium alat, ut potius Christianus stultas & fuitiles quæstiones contemnere teneatur. 2.Tim.2. 23. Non exigit à quoquam Evangelium, quod Judæi de suis Rabbinis credunt; Rabbino vel dextram sinistram afferenti esse credendum; vel etiam si contradictionia statuant,

statuant, omnia tamen illorum verba, verba esse Dei viventis. Quis non aversetur hos inanes clamores? *I. Tim. 6.20.*
 Quis non Judæos potiori jure derideat, cum animadvertisit, quantopere lippiant, & quam non videant manticam in tergo pendentem; quodque ipsi de aliorum ineptiis conquerentes usque ad derisum infaniant?

Quis tulerit Gracchos de seditione querenteis?

Qui, dum aliis sibilant & sibi plaudunt, non in minus rideendas lites incident: *An pulicem in vestibus discurrentem Sabbatho capere liceat? An si mordeat occidi possit salvâ conscienciam?* Leusd Phil. h. m.
Quis seraphicos hos & divinos doctores, uti glorian-

tur, morioni non accenseat, de quo Th. Morus:

Quem mordent pulices, extinguit morio lychnon;

Non me, inquit, cernent amplius hi pulices.

aut quis non existimet similes esse Tiberio Imper. qui grammaticos olim ejusmodi stultis questionibus experiebatur:

Quod Achilli nomen inter Virgines? quid Syrenes cantare Suet. V.T. sunt solitæ?

Cessabunt ergo alias ridere, ipsi potius ridendi, quod aliorum questiones nugaces acuti videant, cum suas pervident

Oculis ut lippus inuictis:

ridendi, quod, dum doctores subtilissimos esse videri volunt, tam stulte oculos ad suas nugas claudant, ut a nemine forsitan videantur: quia in re Strutiocamelis similes sunt, quibus tanta est stoliditas, ut existiment, latere se si oculos claudant, vel frutice colla occultaverint.

XIV. De *Regimine* tandem Judæi conqueruntur; quod homines ad Religionem vi cogendo, hypocritas faciat, Idololatras, contra conscientiam agentes; quod violentum Eccl. Regimen justam det Judæis suspicandi occasionem, Christianos vi coactos, non argumentis persuasos, credere Religionem suam veram esse; quodque Regimen illud *Traditiones* varias onerosas, in Libris Christianorum non contentas, Ecclesiæ magnâ cum tyrannide imponat: cum tamen hoc ipsum Christiani in Judæis damnent, quod

Legi scriptæ varias Patrum suorum traditiones observandas adjungant; præsertim conqueritur ex Christiano factus Judæus Vriel à Costa de regimine & traditionibus Pontificiorum, qui cum in illa Religione viveret, & exactè studeret implere, quæ traditiones ab ipso postulabant, incidit in inextricabiles perplexitates, mœrore consumebatur, cum in Pontificia Relig. quietem non invenisset: & quo magis incumbebat iis, quæ ab ipso requirebantur, eò major difficultas ipsi oriebatur; ita ut in illa Rel. de salute tandem desperaverit, si illa talibus canonibus paranda esset; quare tandem beneficium Ecclesiasticum, pulchramque domum reliquit, & ut Inquisitionis flamas effugeret, aliorum cessit, & præputia apud Judæos deposita, à quibus ille originem ducebat.

XV. Nos verò scimus & dolemus hanc tyrannidem in Ecclesiâ Pont. exerceri, & non Judæos solum, verū & Christianos non paucos offendere, qui tyrannidem hanc Religionis Christianæ genio in tantum aversari credunt, ut nihil & que illi adversum esse queat. Attamen ad Inquisitorum violentiam fugiendam, ad traditionum jugum excutendum, non opus erat Judaismum amplecti; Dei enim beneficio offendiculum hac ex parte nullum in aliis Christi Ecclesiis esse confidimus. Ubi homines vi non coguntur ad assensum in Religione præbendum, ut credant verum esse, de cuius falsitate tamen sunt persuasi: hoc enim jus homini in hominem non competit: neque ex concessione illius qui cogitur, qui tale jus in se nemini concedere vel debuit, vel potuit: neque ex concessione immediatâ Dei; nisi impie credere velimus, Deum errori, à cuius parte plerunque major vis est, magis favere quam veritati.

Non exigimus nos à Judæis, ut metu Inquisitionis Christianarum Rel. quam in corde ut falsam damnant, profitantur: neque ut metu territi promittant, credere se velle, quocunque alter jussiterit, cum Mitione:

Fec. Adel. *Etsi hoc pravum, ineptum, absurdum atque alienum videtur;*
Si vos tantopere istuc voltis, fiat.
 tales hypocritas non volumus. Sed adhortamur amicè Ju-
 dæos

S: WEREN-
FEL. diff.
theol. 2.

dæos, ut Christum recipiant, ostendentes ex V. T. prophetiis, quod ille sit promissus Messias; rogamusque ut follicitè scrutentur Scripturas, an hæc, quæ dicimus, ita se habent. Act. 17. 2. Pet. 1.

XVI. Quod autem Pontificii Evangelio traditiones suas adjungant, non est, quod in universum à Religione Christianâ abhorreant Judæi: Jungant se potius iis Christianis, qui sine humanarum traditionum fermento Evangelium pure docent; Jesu nostro gratias agentes, quod ab ipsis suos liberaverit. Imò considerent, quam fœde ipsis per traditiones Patrum sint decepti, qui posteris illas specioso *Legis Oralis* titulo venditant, ut argumentis Christianorum ex Prophetarum Vaticiniis pressi, ad eam promptius haberent refugium, & incredulitatis suæ in ea aut prætextum quærent, aut falsis Patrum suorum opinionibus, quas cæco impetu exosculatur, se se delectent; quorum grata quæ fingunt Phantasmatæ faciunt, ut Messiam tam desideratum, tamque diu exspectatum venisse non agnoscant. Quam Legem non à Deo Mosi datam, sed putidum esse Judæorum commentum, validissimis argumentis probari posset: quam si inspirias, non Deum loqui deprehendes, verùm impia audies, *Legi Scriptæ* contraria, otiosa verba, Leges ridendas; in quibus studium posuisse videretur Claudius Imper. si tum jam existisset, quod talia edicta proposuerit, quibus admonebat:

Ut uberi vinearum proventu benè dolia picarentur. Nibil æquè facere ad viperæ morsum, quam taxi arboris succum.

Sueton.

XVII. Hæc in genere ex Pontificiæ Religionis indeole fluunt; in specie Judæi porrò conqueruntur de illius communionis hominibus; quod CLERICI doctrinæ Christianæ Sanctitatem mirè prædicantes, in simulatâ tamen sanctimoniam, quam in vanis & temerariis confiliis sectantur, summum perfectionis Evangelicæ fastigium reponant; putantes, unum Cœlum parum dignum sibi esse præmium, si fordidâ & crassâ aliquâ cucullâ capiti injectâ, hypocritice nescio quam paupertatem aut continentiam simulantes, hominum mancipia fiant, etiam in iis quæ honestati è diametro

B 3

repud-

repugnant: Unde eruditus quidem aliquis Judæus, sed
joco mordente facetus

& salibus vehemens,

contemptim de Christi Sanctissimâ doctrinâ loquitur: *Ego si omnes Christianos Monachos Capucinos factos vidissim, tunc quoque faterer, vestram doctrinam eam, quam pertenditis, habere Evangelicam perfectionem, in mundi & rerum terrestrium contemptu stabilitam.*

XVIII. At verò non necesse est ad Evangelii præcepta observanda, ut omnes Christiani Capucini fiant; non enim cucullis, non palliatis monstris, funigeris, faccogerulis & quæ alia est histrionum turba, atratorum, albichlamidum ac versicolorum Monachorum, horumque consiliis ac traditionibus, cœlestem vitam Christus promisit: sed charitatis officiis, & haud fucatæ pietati, quæ quidem apud Monachos latere dicitur, sed adeò apud illos latet, ut vix unquam licet conspicere: tam bellè enim illi Christi doctrinam vitamque æmulari conantur, ut illi quidem ab eâ absint quam longissime.

Non hos Judæi intueantur, Christiani nominis opprobria, sed Religionis Christi indolem considerent; ubi non temeraria Monachorum consilia, sed tot eximia Virtutis præcepta proponuntur, totque ad virtutem stimuli atque incitamenta producuntur, eaque ad persuadendum validissima. Intueantur Judæi plurimos Christianos, iisque se adjungant, qui hæc religiosissimè observarunt, quibus vita ipsa, omnesque mundi possessiones, pro nomine Christi viiles fuere.

Impietatem inter Christianos latè grassantem uti agnoscamus & deploramus; ita, quid degeneres Christi discipuli committunt, doctrinæ, quâ nulla unquam exstitit sanctior, Judæos imputare haud debere, pertendimus.

Non est, quod Judæi ex Monachorum consiliis de Evangelii perfectione judicium ferant, vident enim illi in Evangelio, quæ nusquam sunt; vident sua somnia, quia ea videre firmiter sibi proponunt: haud aliter ac Judæi, qui itidem in V. Test. Scripturâ videre se imaginantur eas, quas ipsi antea,

de

de Messia terreno, in animo suo formarunt opinionum images. Non sic, sed ex rei veritate est judicandum.

XIX. Sed ne *PLEBEJOS* omittere videar, inter quos Judæi plerumque vitam degunt; & illi Judæis offendiculo sunt. Quamvis de hoc offendiculorum genere conversi tantum Judæi maximè conquerantur, ceteri ob illa sibi plaudunt.

Plebeji Judæis *serviendo* eorum superbiam alunt & philautiam, quo minus illi servitutem quâ premuntur agnoscant, ceu pœnam rejecti Messia Psal. 72. Cùm tamen hoc suo malo & ex miserrimo statu tandem sapere deberent & Christum recipere: cùm non aliam ob causam tam diuturno in exilio teneantur captivi, quam ob Messia contemptum. Deut. 30.

XX. Judæis naturâ quasi hoc implantatum, ut etiam in summâ egestate benignè admodum de se sentiant: squalidi incedunt & pannosi,

*Et toga folidulula est, & ruptâ calceus alter
Pelle patet.*

Juv. S. 3.

Fœda est in ipsorum vultu vestibusque incuria, & nescio quid insolens exhalat? magnificas tamen de se & gente suâ fovent cogitationes; & cum nullus quisquam unquam gentium sit æque miser, ampullas tamen loquuntur, & sesquipedalia verba. Qui, cum pedem ubi ponant non habent, solos בְּנֵי חֶדֶן verè nobiles se esse gloriantur: reliqui mortaliū humiles sunt, vulgi pars ultima, fungi, truncoque simillimi; Judæi

Quanti quanti nihil nisi sapientia sunt.

Ter. Adelph.

Soli Israëlitæ sunt amabiles, alto de sanguine rari; & si credere fas est

חַבִּיכִין יִשְׂרָאֵל שָׁנָק רָאוּ בְּנֵי הָאֱלֹהִים:
Amabilis est prorsus gens Israëlitarum, utpote qui filii Dei vocantur. Buxt florile.

Digni scilicet quibus Christiani serviant.

XXI. Cum enim illi vestibus Sabbathinis induiti se se accingunt, ut genio indulgeant, bibant, hilaritati studeant, Christianis labore relinquunt: ipsis, vino & conquisitissimis ferculis Sabbathum celebrantibus, Christiani ministrant; cum acri brumâ ignis hypocausto est supponendus, servi Christiani hunc subeunt laborem, dissolvunt ipsis frigus,

Ligna super foco

Hor. C. L. I.

Large reponentes.

Cum

Cum vacca Sabbatho est mulgenda, Christianis tam honorabile munus Judæi deferunt : ad quod enim magis apti?

Pastoris duri est hic filius, ille bubulci,

Judæi verò suaviter quiescentes nihil attingunt, quod vel laboris speciem habet. Tum putant se nihil minus quam in servitute vivere, tum cristas attollunt & jaçtant se Christianorum dominos, tum Christiani sibi servire gloriantur, tanquam servi vilissimi & pistrino digni.

XXII. Quod verò ob parvum aliquod lucellum Christianorum quidam, lucrificidine inflammati Judæis serviant, causam non habent Judæi Christianis insultandi : Considerent potius, quod ipsi durissimâ in servitute ob spretum Messiam pulverem lingant, & adhuc lingent, usque dum gens cœca Messiam sibi promissum agnoscat. Ps. 72. 9. Co-gitent, quod licet vestibus Sabbathinis superbi ambulent, diuturno tamen exilio fœtens aliquis Judæus sub illo habitu lateat ; & quod Simia simia sit, etiamsi aurea gestet insignia : quodque etiam asini in leonina pelle deprehendantur : Miser erat Darius, etiamsi aureis compedibus à Beso vinciretur.

Curt. L. 5. Quod si verò auro superbire mallent, ad Utopienses mittantur, qui eorum auribus annulos addunt aureos, digitosque auro cingunt, quos aliquod crimen infames fecit.

**T. Mori
Utop. L. 2.** Interim tamen non malè fecerit Christianus Magistratus, si interdiceret, ut nemo, nec Sabbatho nec aliis festis diebus Judæis interferviret : ne ansam habeant cristas erigendi, quasi Christianorum essent domini, digni qui æternum serviant, ipsi potius flagellis ad pistrinum cogendi, ut superbi hi homines auriculas tandem dimittere discant, veluti *iniquæ mentis aselli*,

Quum gravis dorso subiit onus.

Etsi hyeme Sabbathum celebrantes, cum prata rigent, & fluvii hybernâ nive strepunt, frigore perire sponte mallent, quam ipsi focum accendere, quid hoc ad nos? fruantur Sabbathi deliciis in medio frigore, vel alio quoctunque minus commodo loco exspectent, donec esca ipsis veniat delapsa per auras. Quam pertinax genus sit suo exemplo docuit Judæus ille, qui cum Sabbatho nescio in quem locum minus amœnum decidisset, Sabbathi deliciis ibi frui maluit, quam pati, ut extraheretur.

F. I N I S.


Buxt. S. 16.
Leusden. de
Sabb.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn863443915/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863443915/phys_0020)

DFG



¶ 15 ¶

, in animo suo formarunt opinionum im-
ed ex rei veritate est judicandum.
ne *PLEBEIOS* omittere videar , inter quos
e vitam degunt ; & illi Judæis offendiculo
He hoc offendiculorum genere conversi tan-
nè conquerantur,cæteri ob illa sibi plaudunt.
idæis *serviendo* eorum superbiam alunt &
minùs illi servitutem quâ premuntur agno-
i rejecti Messia Psal.72. Cùm tamen hoc suo
imo statu tandem sapere deberent & Chri-
n non aliam ob causam tam diurno in ex-
tivi,quam ob Messia contemptum. *Deut.30.*
is naturâ quasi hoc implantatum, ut etiam
e benigne admodum de se fentiant : squali-
nnofi,

*irridula est , & ruptâ calceus alter
et.*

Juv. S.3.

im vultu vestibusque incuria,& nescio quid
magnificas tamen de se & gente suâ fovent
sum nullus quisquam unquam gentium sit
llas tamen loquuntur,& sesquipedalia verba.
ubi ponant non habent , solos
Ie gloriantur : reliqui mortaliū humiles
ultima, fungi, truncoque simillimi ; Judæi
quanti nihil nisi sapientia sunt.

Ter. Adelp.

t amabiles, alto de sanguine rari ; & si cre-
חֲבִיכִין יִשְׂרָאֵל שָׁנָק רָאוּ בְּנֵי הָאָל
gens Iraelitarum, utpote qui filii Dei vocantur. Buxt florile.
bus Christiani serviant.

n enim illi vestibus Sabbathinis induiti se-
nio indulgeant , bibant , hilaritati studeant ,
m relinquunt: ipsis,vino & conquisitissimis
m celebrantibus,Christiani ministrant; cum
hypocausto est supponendus , servi Chri-
nt labore, dissolvunt ipsis frigus,
per foco

Hor. C. L. I

Large reponentes.

Cum